



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1699

Decas X. Ab anno 290. ad 300.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64743](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64743)



DECAS X.

✽ Ab anno 290. ad 300. ✽

291. SERENA Imperatrix Augusta Diocletiani uxor favet Christianis, ipsa quoque occultè Christiana, & alios ad fidem Christianã alliciens, atq; confirmans; & hoc quidem utroque Imperatore Diocletiano & Maximiano omne ingenium in everfionẽ religionis veræ convertentibus.

✽(292.)✽ FLAVIANUS CONSTANTINUS CHLORUS magni CONSTANTINI parens & MAXIMIANUS GALERIUS ARMENTARIUS cognomento ad regnum assumpti.

✽(293.294.295.)✽ Varii affines Diocletiani Martyrii diversis tormentis excruciantur & enecantur. Fuit inter illos SUSANNA filia Gabinii Christiani quoque & fratris Caij Papæ, quæ cùm ad nuptias Galerij à Diocletiano affine, nullis suasionibus nec carcere, nec minis aut arte ullâ induci valuisset, Christiana cognita, post evitatum divinã protectione vim à Galerio suæ virginitati inferendam, & post Jovis statuam, quam adorare compellebatur, precibus suis aliò amandatam, demum ejusdem Diocletiani jussu in paternis ædibus capite trun-

trun-

truncata est. Quamvis enim admirabili quodam fulgore corpus Susannæ ambiente Valerius ab inferenda vi absteritus fuerit, non tamen id divinâ virtute, sed magicis quibusdam artibus effectum esse interpretabatur, quod etiam in Martyribus multis, quos bestię in theatris lædere non poterant, non à Deo sed diabolicâ arte sæpius factum esse impii, calumniabantur.

Commiserat autem Diocletianus SERENÆ conjugii Augustæ hanc curam, ut Susannam à Christo abduceret, quod Serena non solum non præstitit, sed & magnopere ad fidei constantiam roboravit, & corpus occisæ propriis manibus curavit, aromatibus condidit, velumque, quo sanguinem absterisit, secum in theca argentea circumtulit, coram eo furtivis horis preces Deo persolvens, donec & ipsa sancto demum fine in Domino quievit.

✽(296.)✽ Cajus Papa & affinis Diocletiani propter Susannam martyrio coronatur. Similiter etiam Gabinius pater Susannæ post diuturnas ærumnas gloriosâ morte cælum comparavit, vel ferro peremptus, vel pœdore carceris consumptus.

Marcellinus patriâ Romanus, & patre Projecto natus in Pontificatu succedit.

✽(297.)✽ Legio militum Thæbeorum

rum Christianorum. cum in lustratione exercitus juberetur Diis sacrificare, abominata impietatem, a Maximiano semel iterumque decimationem passa, tota tandem una cum Tribuno Mauritio a reliquo exercitu interempta est. Ex hoc tempore persecutio invaluit vehementer contra milites Christianos, qui in exercitibus variis merebantur.

(298. 299. 300.) Visum est Imperatoribus tyrannis eos, qui è militibus Christiani magni numero reperiebantur potius laboribus atterendos esse, quam frustra ferro necandos: igitur Diocletianus Romæ, & Maximianus Carthagine Thermas struere cæperunt, quarum operibus Christianos milites addixerunt, durissimèque habuerunt, ut vel minimam occasionem arriperent tyranni eos ferro vel flammis inter labores enecandi. Laboribus igitur militum Christianorum septennio Thermæ sumptuosissimæ utrobique absolutæ sunt, & consumatis iis sui quoque laboris mercedem & præmium felices illi latomi receperunt, ad Aquas salvas, Duce Zeno Tribuno, sanguinem pro Christo fundentes, cui toties inter labores sudorem suum consecrârant.

SÆ-